

2028

D. D.

2022

GENERATIO AMBIGENA.

QUAM

CONSENS. EXPERIENT. FACULT. MEDICÆ
IN REGIA ACADEMIA UPSALIENSI,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

Dn. Doct. CAROLO
LINNÆO,

EQUIT. AURAT. DE STELLA POLARI,
S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO,

MEDIC. ET BOTAN. PROFESSORE REG. & ORD.
ACADEM. SCIENT. UPSAL. HOLMENS. PETROPOL.
BEROLIN. IMP. NAT. CUR. LONDIN. MONSPEL.

TOLOS. ET FLORENT. SOCIO,

h. t. RECTORE MAGNIFICO,
SPECIMINIS ACADEMICI LOCO;

PUBLICE EXAMINANDAM SISTIT

CHRISTIAN. LUD. RAMSTRÖM,
STOCKHOMIENSIS.

IN AUDIT. CAR. MAJ. AD DIEM XII. DEC.
ANNI MDCCCLIX.

H. A. M. S.

UPPSALIÆ

VIRO Experientissimo
D:NO MATHIÆ
RAMSTRÖM,
ad Legionem Praetorianam CHIRURGO,
PARENTI INDULGENTISSIMO.

Tenerrimus ille amoris affectus, quo ab ipsis vitæ meæ primordiis, ad hunc usque diem, me Pater Optime, amplexus es, ita animo meo obversatur semper, ut occasio nem hanc, qua pium atque gratissimum erga Te animum publice testari liceat, intermittere non pos sim. Adeo certe fidelem mei semper gessisti curam, adeo cumulata Tua in me bonitatis extant documenta, ut istius immemor plane forem, si gratias Tibi pro eo, ac debeo, satis haberi, ne dum referri, posse crederem. Accipias igitur, Paren s Amantissime, tenues basce studiorum Academicorum primitias faventi, ut soles, animo easque tes seram qualemicunque intimæ, & non nisi mecum intermorituræ venerationis esse permittas! Quem admodum enim nulli in mea commoda labori, nullisque sumtibus pepercisti: ita in beneficiis Tuis agnoscendis inque piis pro Tua, Matrisque dilectionis perenni incolumentate precibus ad Deum benignissimum, nullo non tempore, fundendis me parcum ac cessantem nunquam invenies. Ad ur nam usque permaneo,

OPTIMI PARENTIS

Filius obedientissimus
CHRISTIANUS LUD. RAMSTRÖM.



§. I.

Palatium Naturæ arte, splendore & structura prorsus admirandum curiosorum omnium oculos ita in se convertit, ut eos vix abstinere valeant; at vero in sacraria ejus penetrare paucissimis tantum permisum est.

Qui multa experientia dignos se reddiderunt, in atrium intromittuntur; at res sanctissimæ, cimeliorum instar, intimis adservantur penetralibus. Ego hac ætate tantillum expertus, eo pertingere non sum conatus; verum per fenestram subapertam in cameram quandam, tamquam absconditam introspiciens, ea, quæ in medium jam adducturus sum, observavi. Et quamvis cuncta ex voto perspicere non licuerit, spero tamen fore, ut ad eadem na-

A

turæ

turæ admiranda adcuratius & clariori luce contemplanda alii meis excitentur conatibus.

§. II.

GENERATIO animalium & vegetabilum pri-
mum est & maxime reconditum naturæ Phæno-
menon. Originem vitæ, & fontes omnium viven-
tium anxie omnes hucusque quæsiverunt Physici,
adhuc vero reperire potuit nemo. Physiologi, qui
recentiori hoc ævo tantam adepti sunt experienti-
am, tot instituerunt experimenta, tot cadavera
dissécuerunt, & adhibita quasi lucerna, omnes
corporum angulos ad minimas usque fibras perve-
stigarunt, difficillima ope Mechanics ac Physices
solverunt problemata, fateri tamen coguntur hanc
rem subtiliorem esse atque abstrusiorem, quam ut
explorari in hunc usque diem potuerit. Aliam
igitur per Naturæ campos ingressus sum viam, vi-
furus, quo usque per hanc progredi liceat.

§. III.

Theoria Generationis in orbe litterato duplex
est, veterum nempe Generatio æquivoca & recen-
tiorum generatio univoca. *ÆQUIVOCAM* admise-
runt veteres, in minimis præsertim animalculis, in-
sectis & Vermibus, existinantes diversis mixtioni-
bus, putrefactionibus & fermentationibus produci
posse Pulices, Culices, Vermiculos & infima certe ve-
getabilia, ut sunt Musci & Fungi. Obtinuit hæc The-
oria usque dum minutissima hac animalcula & vegeta-
bilia, attendendo ad eorum Mechanismum, genera-
tionem, mores, vitæ genus, & cetera, adcuratius
fuere

fuere examinata; tum enim ad conceptum de natura adeo crassum, exhorrescere quisque cœpit, ut jam dudum nemo sit Naturæ peritus & puriori judicio instruētus, qui generationem æquivocam sine nausea audiat, & vulgus tantum ex traditionibus eam adhuc credit, donec propriis non videat oculis.

§. IV.

Altera Generatio est, quæ UNIVOCA dici solet, quam stabilivit primum Magnus *Harvæus*, qui, explosa omni generatione æquivoca, omnia ex unico *Ovo* generari, & rudimenta futuri foetus in cicatricula, vel, ut jam appellatur, in puncto saliente ovi, tota contineri pronuntiavit. Et hæc quidem res ad liquidum adeo est perducta, ut, præter eos, qui sponte cœcutiunt, nemini possit esse dubia. Hæc vero generatio univoca duplice Theoriam complectitur. Alii enim in *puncto saliente* ipsius ovi rudimenta futuri foetus inesse statuant ante sœcundationem, ut HARVÆUS ipse docebat; genitaram vero maris, nihil facere amplius, quam ut parvulum hoc germen excitetur primum atque animetur. Altera Hypothesis LEUVENHOEKII est, autoritate summi *Boerhavii* maxime nobilitata: Scilicet videbat Leuvenhoekius vermiculos semifinales quam plurimos omni geniturae masculæ prolificæ, piscium instar innatare. Hinc ex his sexcentis fere vermiculis, qui sedes quarendo ovum pervagentur, unum cicatriculam, in *ovo* cavam & vacuam, casu quopiam feliciori reperire,

eamque intrare & implere, ibique metamorphosin subire, & carinam Malpighii, quæ in ovo, per aliquot dies incubato oculis primum occurrit, constitueret putabat.

§. V.

Quam indubium est, sine ovo nullam fieri generationem, tam certum quoque ovum sine genitura mascula, nunquam existere fœcundum. Cur vero haec tantopere sint necessaria, quomodo combinentur, & quantum quisque sexus contribuat, illud nondum constat, sed multorum votis queritur.

§. VI.

Vermiculos seminales Leuvenhœkij vivos esse vermes, in omni genitura prolificâ maris præsentes, ad nostra tempora firmiter satis credidit orbis eruditus. Nob. D. PRÆSES Lugduni Batavorum 1737 camnioratus curiosorum quorundam amicorum & commilitonum utebatur consortio, quales erant J. Fr. Gronovius Flora Virginica Author, hodie Consul Leidenensis; D. v. Swieten, hodie Lib. Baro & Archiater Imperatoris; Isaac. Lauwson, pie memorie Scotus, Med. exercitus Angliae D. Lieberkühn p. m. Berolinensis; D. Kramer, Autor libri artis Docimasticæ; Joh. Bartiseb p. m. Regiomont - Borussus, Med. Surinamensis; & D. Abrah. Ens Pomerano-Petroopolitanus. His igitur quodam die congregatis, ostendebat D. Lieberkühn præstantissima sua microscopia, quem rogabat N. D. Præses, ut horum operem vermiculos seminales in cane observandos præbere, ret,

ret, quod statim impetravit; Contemplabatur illos
adcurate, atque insectorum naturæ gnarus, statim
vermiculos hosce Leuvenhœkianos non esse corpo-
ra organis prædita & animata, atque adeo, neque
insecta, neque vermes, sed particulas mutas, qua-
rum motus a calore dependeret liquoris, rotundo
ore exclamabat. Præsentes omnes attenti hos in-
tuebantur, & oculis suis alii credere, alii vix qui-
dem videbantur. Conclusionem hujus rei in dis-
sertatione de sponsaliis plantarum, anno 1746 pag.
24 edidit Nob. Dn. Præses his quidem verbis: *Ver-
miculi isti Leuvenhœkiani minime sunt animalcula
proprio & voluntario motu gaudentia, sed corpuscula
inertia, quæ calido semini innatant, non secus ac
particulae oleosæ, quod selecta Lieberkühnii microsco-
pia nobis manifesto ostenderunt.* Hoc postea etiam
vidit & confirmavit, summus & Physiologus illu-
stris D. v. Hallerus, ut adeo auctoritas vermium se-
minalium jam prorsus fere in desuetudinem venerit.

§. VII.

Quamvis vero hæc corpuscula seminalia non sint
animata certissimum tamen est, quod veram maris
genituram, constituant, quodque his non existenti-
bus in genitura, ea fit infœcunda; sed quomodo agant
adhuc ignoramus. Generationis Leuvenhœkianæ
defensores hæc corpuscula cicatriculam ovi intrare
contendebant, & Botanici hos secuti, ut *Morilan-
dus* & plures, qui pollen in floribus, corporibus
his genituræ maris plane respondere, idque ex ve-
ro, agnoscebant, pollen quoque per stigma & sty-

Ium in germe florum descendere statuebant. Hoc autem fecus fieri palpabilia docent in generatione plantarum experimenta, & omnium exceptione majus in flore, qui *Mirabilis* nominatur, ubi pollen facile est omnium maximum, quod stigmati plane adhaerescit, & quamvis nulla ratione angustissimum stylum penetrare valeat, nihilominus tamen fecundat. Quin etiam in plerisque floribus pollen stigmati adhaerens, liquorem ad rudimenta seminum deferendum tingere, sed ipsum tamen in stigmate remanere, nec unquam stylum penetrare, multo minus ad primordia seminum intra germe progreedi, evidenter constat.

§. VIII.

Per continuam Naturæ catenam, a maximis Animalibus ad insecta usque & vermiculos minimos descendentes, in regnum Vegetable adeo sensim deferimur, ut terminos observare non licet. Natura enim per gradus, nunquam vero per saltus, procedit. Ultima animalia in ramos abeunt, & ad basin velut radices agunt, flores seu genitalia emittunt, pericarpia velut & capsulas formant, quæ ova vel semina, plantarum instar, deponunt, ut, nisi motus voluntarius & sensatio obstat, etiamnum vegetabilibus eadem accenseremus.

§. IX.

Vegetabilia constant substantia medullari & corticali. MEDULLARIS, vita vegetabilium præcipua, admirandæ omnino est indolis, quæ vim habet multiplicativam in infinitum, accrescit & augetur

getur ad ramorum apices, ubi minima est resista-
tia, sed ad primordia sua plerumque perit; unde
videmus in plurimis arboribus truncum sine medulla
solidum, adeo ut saepe, concavo licet & exscul-
pto intus vel exusto caudice, maxima tamen crescat
Quercus: sed minimi ramusculi, qui incrementis
continuatis plantam multiplicabunt, medulla care-
re prorsus nequeunt. Hac enim ab insecto vel
etiam frigore aut calore nimio destructa, vita quoque
sine reparatione destruitur. Hoc medullare intra sub-
stantiam *corticalem* quasi incarcatur, quæ illam
omni nisu retinere studet, quamdiu conditio-
nes ejus sufficiunt. Sed ubi substantia corticalis ob
altitudinem, æstum, humoris & nutrimenti defec-
tum, morbum, non satis valida est, tum medulla
enititur, corticalem substantiam rumpit, tum
que planta metamorphosin subit, fructificatio-
peragitur, medulla in semina granulatur. Sed hæc
tamen semina, atque ipsa medullaris substantia, non
sufficiunt ad vitam continuandam & multiplican-
dam, nisi antea polline seu genitura maris fuerint
fecundata.

§. X.

Altera vegetabilium pars constitutiva essenti-
alis est substantia CORTICALIS, quæ nutrimen-
ta attrahit, succum deducit, & medullam, quæ
aliunde sustentari nequit, alit ac protegit. Hinc
etiam fit, ut Arbor ad peripheriam circulariter de-
corticata supra ejusmodi annulum emoriatur, cum
succus ex defectu substantiæ corticalis impeditus ul-
terius medullæ nutrimenta non suppeditet; cum
igitur

igitur ad plantam biennem adtendimus, qualis est *Rapa*, *Daucus*, *Pastinaca*, *Beta*, &c: videmus radicem ejus primo anno copiosissima medulla farctam, sed ubi in sequente anno caulem & flores producit, medullam per caulem extrahi & in semina fructificationum effundi observamus, ut maximia tandem Rapæ radix vacua & prorsus cava remaneat absque omni medulla, manifesto sane indicio, quod *medulla ex parte fœminæ semina* constitutat. Idem obtinet etiam in Culmis gramineis & tubulosis, licet medulla fistulosa & interiori parti culorum quasi adglutinata sit. Antheræ partes plantarum *masculæ*, quæ pollen filamentis suis insidentes producunt, ex substantia corticali originem habent, quod in *Afaro* perquam evidens est. Corticis munus est *librum* deponere; liber in substantiam *ligneam* abit, unde oriuntur stamina; ubi vero substantia hæc extima, in librum reducitur & remolleſcit, stamina in petala *floris pleni* permuntantur. Substantia igitur medullaris dat semina, corticalis vero, cuius proles liber ac lignum est, pollinifera stamina mascula subministrat. Non sufficit, ut substantia medullaris ad nova semina protrudatur; nam se ipsam sustentare non potest. Accedere igitur debet substantia corticalis, a patre sustentationi ejus destinata, & hæc suam, æque ac illa, agnoscere debet originem, atque adeo ex Polline staminum exoriunda, quæ igitur in vegetabilibus, ubi generant, dant medullæ pistilli substantiam corticalem; Hæc omnia sana ratio nobis ostendit; Sed quam omnis

omnis veritas Naturæ observationibus & experimentis demonstrari debet, de his in sequentibus erimus solliciti.

§. XI.

Facit arctior illa, quæ sub naturæ, saltum penitus excludentis, imperio, inter vegetabilia & animalia intercedit cognatio, ut Naturæ catenam sequentes non facile confundamur.

Demonstrarunt Botanici *Sexum plantarum*; ostenderunt earum genitalia & *Generationes*; nec non florescentes herbas, eo ipso, more insectorum suas subire *metamorphoses*. Nuper etiam ostensum est, dari *Animalia composita*, & quemlibet plantæ ramum per se novam esse plantam, perinde ac ramus in animali composito. Atque existere animalia composita non magis est mirandum, quam quod abeant in ramos vegetabilia; quia medulla, in infinitum multiplicabilis, non est nisi continuatio ejus, quæ a primordiis rerum cœpit, & quæ adhuc eadem vita se multiplicare ac dilatare pergit; modo simul substantia corticalis medullarem involvere & nutrimenta eidem præstare non desinit. Mirandum potius fore, existere posse *Animalia simplicia*, quæ non sunt alia, nisi quorum interior substantia medullaris intraduriorem quandam crustam osseam tegitur, coarctatur & conservatur; et quamdiu vertebræ dorsales in his animalibus per cartilagines crescere possunt, tamdiu quoque ipsum crescit animal; ossibus vere perfecte induratis, incrementum cessat. *Insecta* vero, quæ statim a metamorphosi valde obdurescunt, crescere simul desinunt, & insecta aquatica seu

aptera, quæ quotidie & quotannis accrescunt, osseam quoque crustulam quovis anno commutare necesse habent cum capaciori.

§. XII.

Eadem substantia medullaris, quæ vegetabilibus est, in animalibus quoque obtinet, ubi *medulla spinalis* nominatur; quæ tenuia emittit filamenta, suis vestita meningibus, unde *Nervi* constituantur: qui sunt fila tenuissima medullæ; sic medulla ut in nervis opticis perspicue cernitur, ad partes sensibiles & motivas totius corporis sese exporrigunt. Nulla adhuc nervorum in vegetabilibus sunt vestigia; Nervis omnino omnis *sensatio* & *motus* animalium debet originem: nullum enim punctum sentit, nec ulla fibra contrahitur, motumque efficit, nisi eo pertingunt nervi. Ut vero e substantia medullari oriuntur nervi, ita sensus & motus omnis ei videtur adscribendus: Et quia vegetabilia nervis & muscularis destruantur, difficillimum omnino erit de sensatione eorum quidquam constituere: Nondum certe nobis eandem ostendere potuerunt plantarum Anatomici. Quod enim ad *Mimosas Oxalidesque* sensitivas attinet earum forte alia est ratio.

§. XIII.

In animalibus majoribus medulla ad alterutram extremitatem coacervata est & organisata in corpus *Cerebri*, quod tot partibus distincte nominatis, tamque admirabili fabrica est constructum, ut nulla hucusque mechanismum ejus & organismum rimari potuerit humana perspicacia; in hoc autem mentis sedem esse querendam eo minus dubita-

bitamus, quo certius ex Pathologicis novimus defec-
tus heic existentes, vel sensationem tollere, ut in A-
poplexia & Epilepsia; vel motum involuntarium in-
ferre, ut in morbis Spasticis; vel motum prorsus abo-
lere, ut in morbis Soporosis.

Animalia, quibus capacior est percipiendi fa-
cultas, majorem quoque habent officinam manda-
tis ejus exsequendis idoneam. Sic plurimæ partes
cerebri numero diminuuntur, ut variæ partes cerebri,
quæ sunt in *Quadrupedibus*, in *Avium* cerebro
desint, *Piscium* vero longe pauciores sunt, *Insectis*
nullum videtur esse cerebrum, nisi forte tenue & exi-
le filum, & *Vermes*, qui capite carent, cerebro
gaudere non possunt, nec præter sensationem &
exilem valde motivitatem, alios videntur præstare
effectus animales.

§. XIV.

Conspirant itaque animalia & vegetabilia
inter se duabus partibus constituentibus, me-
dullari nempe substantia, quæ Vita est, & corti-
cali substantia, quæ Naturæ nutrimenta conciliat. Hæc
apud vegetabilia vasis constat, quibus in animatis
Systema vasculosum respondet; ipsi enim *musculi*,
quos inter vasa perreptant, non sunt nisi Folia, apice
suo adnexa, ut motum ab interno quopiam pel-
lente adquirant, quando ab externo habere ne-
queunt. Quemadmodum igitur medullaris substantia
in generatione diversam a corticali essentiam con-
stituit, ut illa apud plantas a parte fœminina, hæc
vero a parte masculina manifesto proveniat, ita
non possumus non apud animalia, in æquabili na-

turæ cursu, eandem nobis proponere legem naturæ. Neque hoc esset in animalibus perceptu difficultissimum, nisi structura cordis admirabilis, viscerum organisatio, organa sensuum mirifice constructa, primordio tam simplici percipiendo insignem obficerent difficultatem.

§. XV.

Medullam in plantis esse multiplicativam, & multiplicationem quamlibet priori similem esse ramuli docent; medullam quoque multiplicari in animalibus, & soboles producere similes ex Tænia evidentissimum est. Si jam supponimus similes medullæ particulas ad ovaria animalium deferri, & pari modo nervos suos emittere, etjam hæc res aliquatenus concipi poterit; maxime cum prima carina Malpighii in ovo incubato idem prorsus testari videatur; sed qua ratione genitura maris suo polline vel corpusculis Leuvenhoekianis, corpus tam organisatum producere possit, in primis cum semen vel ovum ipsum non intrant, quod in plantis perspicuum est, res manet altioris fane indaginis; hoc autem omnino fieri a posteriori me videre video.

§. XVI.

Quod ad plantas attinet, habemus specimen lumenissimum heic Upsaliæ in *Veronicae maritimæ* filia, a *Verbena officinali* fecundatæ; Videmus enim adhuc in hac sobole hybrida fructificationem e substantia medullari, matri plane similem; externa vero, ut Folia & cetera corticalia, patri similima. Accidit ante aliquot annos, ut in aliquo pulvillo Horti Academicici, ubi *Tragopogon pratense*, & *Trago-*

Tragopogon porrifolium una crescebant, oriuntur
 planta *Tragopogon pratense* referens, sed floribus
 rubicundis; sumis ergo N. D. Praes Anno 1757
 experimenti causa *Tragopogon pratense*, quod flo-
 res nuper excluderat, in eis pollens vehementiori
 adflatu discussit, & decerpto flore *Tragopogonis*
porrifolii pulvulos genitales ei leviter adspersit;
 iterabatur hoc aliquot diebus in eodem flore; Flos
 hic demum in semina transiit; serebantur semina
 Anno 1758, & anno jam currente 1759 floruerunt,
 fructumque tulerunt. Notatu dignum erat, quod hu-
 jus flores seu corollæ fere ad basin usque purpureum
 ostenderent colorem; quod calyx longior esset, quam
 in pratensi; & pedunculi solito satis crassiores; paucis,
 externa patri, interna matri erant similia. Venerit
 forte dies, quæ ostendet, plurima *Gerania africa-*
na & *Mesembryanthemata*, plurimasque *species*
Generum ditorum ex eo forte provenisse, quod
 Pater peregrinus plantam fecundaverit matrem. Et
 quamvis partus hybridæ saepe sint steriles, tam in
 vegetabili, quam animali regno, hoc tamen univer-
 sale non est; sed multas admittit exceptiones, saltem
 in *Tragopogone* nuper nominato Passeribus. Hinc
 nova forte regula aliquando erit Botanicis: *Tot species*
dici congeneres, quot eadem ex substantia medullari
seu matre sint progenitæ. Hoc vero Oeconomiam
 Naturæ non interrumpere ex Insectis edocemur,
 quæ Plantas exedunt ejusdem generis, antea illis non
 visas & nuper ex India asportatas. Sed ad hanc
 Thesin confirmandam rationibus uti præsertim de-

deo ex Regno animali depromtis. Stabiliuntur enim leges generationis exemplis maxime animalium, ubi partus hybridorum omnium luculentissima praebent vestigia.

§. XVII.

Vulgatissimum experimentum partus hybridorum ab ASINO & EQUO desumitur. Ubi Equus mas Asinam feminam intrat, foetus evadit *Mulus*, id est, Asinus natura talis, sed forma, aures, juba & cauda patrem Equum exprimunt; sunt igitur externa Patris, interna vero Matris. Ubi autem Asinus mas Equam feminam intrat, contrarium obtinet; soboles enim fit natura Equus, sed quoad exteriora, staturam, colorem griseum cum cruce nigra patri asino similis, & vocatur *Hinnus*.

Frequens apud nostrates mos invaluit, methodo Nobiliss. Alströmeri per Arietes ex Hispania adductos præstantiorem querendi OVIUM indolem. Hi Arietes Hispani cum Rusticis nostris oviibus feminis committuntur, ubi fetus Hispanicis, qua lanam, staturam & reliqua externa plane similes evadunt. Verissime quoque Oeconomi nostri dicunt ejusmodi oves clima nostrum melius, quam hispanicas genuinas preferre; vires enim eorum animales, adeoque ipsa vita, a matre dependent. Oves vero femellæ hispanicæ a maribus Svecanis aliquando imprægnatae, agnos progenerant non hispanicæ, sed vulgaris indolis; quod Thesin positam prorsus roborat.

Quando CAPRI *Angorenses*, qui recentiore tempore studio & opera Nob. D. Alströmmeri in patriam sunt adducti, cum vulgaribus committuntur capris foemellis, parimodo soboles præstantissimam, longam & molliorem dede-
runt lanam camelinam, sed casu contrario, ubi Capræ foemininæ angorenses ex vulgaribus nostris hircis fuere imprægnatæ, nulla mutatio lanæ no-
bilitata exstitit. Hoc vero latius quam ad lanam ipsam patere, ex Cornibus etiam perspicitur. An-
glicus enim aries incornis cum Ove Svecana cornuta,
agnum procreat cornibus destitutum, ut taceam
structuram aliam, quæ non adeo facile describitur.

§. XVIII.

Ad mixturas ejusmodi differentium specierum observandum quoque est, quod post plures genera-
tiones interdum, magis magisque evanescat indo-
les per patrem adquisita, & vis matris, quæ ope
systematis nervosi reliquum corpus sensim ad suam
indolem modifikat, tandem paternæ prædominat.
Mihi sane hæc exempla, tam in plantis, quam anima-
libus, adeo videntur perspicua, ut, si deceperint,
nulla sit res a fraude aliena. Hinc Physicis suadeo,
ut viam hanc, inveniendi quid Mater ad medul-
larem substantiam conferat, quid ad corticalem
Pater, sedulo tentare non desinant; neque enim
dubito, quin major lux in his rebus brevi sit ori-
tura. Ego interim fungar vice cotis, qui acuit,
exsors ipse secandi.

COROLLARIA.

Ex præcedente jam disquisitione sequentia elicimus corollaria.

1. Et Vegetabilia & Animalia substantia Medullari & Corticali essentialiter consistere;
2. Sedem Vitæ primariam in medullari substantia collocatam esse, corticalem vero medullari Aliamenta præbere.
3. Medullarem substantiam esse infinite multiplicativam in vegetabilibus & animalibus, ut ex compositis constat; adeoque singula viva non esse, nisi continuationem ejusdem vitæ, quæ in primordio rerum erat creata.
4. Medullarem substantiam e trunco Plantarum evacuari, fructificationem earum intrare, ac tandem in Semina concentrari & granulari.
5. Genituram masculam plantarum a substantia corticali, non vero medullari esse productam.
6. Medullarem in vegetabili suo, in ramos, ramulos, &c. in infinitum ceteris paribus crescere posse; sed novam genesis & distinctum individuum non constituere, nisi a mare corticalis acceperit, quæ continuari non potest, ubi medulla propria in semina formanda erit.

Heic vero tangam experimentum maxime notabile, quod videmus in *Graminibus Viviparis*, quæ medullarem substantiam germinis cortice suo continuato obtengunt, ubi semen in ipso vegetabili germinat, atque ideo staminibus masculis non indiget; postmodum vero germinatum decidit, velut ramulus cum suo nodo.

7. Substantiam corticalem a mare oriundam esse, ex dictis speciebus hybridis clarum est. Quum illæ qua externa semper Patri, qua interna vero matri, tam in vegetabilibus, quam in animalibus assimilantur. Si enim genitura nihil præstaret nisi vivificaret germen matris, similes soboles omnino a quocunque patre generante existeteret, jam vero, ut diximus, externa patri fiunt similia.
8. Superest ut a Physiologis exploretur, quid mas contribuat, ut inde quidquid ad similem proliis figuram, vasa, viscera &c. requiratur, refutare possit; Nec non qua ratione Medulla deferatur ad ovaria.
9. Interim manifesto sequi videtur, quod rudimentum futuri foetus non sit in patre solo, neque in matre sola, sed quod Parenz uterque suum conferat, illa ad medullarem, is vero ad corticalem substantiam.
10. A matre igitur sana validæ oriuntur functiones animales, a fano patre fortiores vitales, quæ observatio novam Diæticis lucem adfundat. Medullam simplicem simplex constituere animal, abrupta vel quocunque modo in partes absque vitæ dispendio dissecta, accrescere & novum animal ita formare posse liquet. Soboles a diversis parentibus natos Patris, externam figuram induere etjam alii observarunt. Confer Hall. Phyl. p. 786.

S. D. G.

Politissimo atque Eruditissimo DOMINO,
CHRISTIAN. LUD. RAMSTRÖM,
Amico Exoptatissimo.

Fximia sane diligentia, artificia genera-
tionis in Regno tam animali, quam
Vegetabili demonstras Amice Honora-
tissime, atque adeo tuos in scientia Naturali pro-
gressus singulares, publico hoc specimine, prodis.
Hinc ego, cui Amicis Tuis adnumerari contigit,
occasione hanc laetus arripio, qua meam ex Tuō
successu delectationem publice testatam faciam. Di-
cerem simul de praeclaris, quae Te ornant, virtu-
tibus, sicutque eos, qui Tuum candorem nondum
norunt, meo qualicunque praeconio ad Tuam ami-
citiam querendam excitarem. Sed nec mihi verba
uppenunt, nec Tua, quam bene novi, id permi-
serit modestia. Paucis itaque cuncta complectar.
Non Pater unquam per celebris digniorem nactus
est Filium iisdem artibus imbuendum, nec scien-
tia Medica praestantiorem inveniet cultorem. Ex-
spectat non ex vane Res publica membrum honorifi-
cum, promittunt ergo tibi Medicum experientis-
simum & Amici Tui Amicum sibi gratulantur.
fidelissimum.

7. A. M.